



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 103. Et cum hoc dixisset iterum exivit ad Iudæos. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

in hoc est regnum eius. Apte igitur quaesisti, sed praxin indispicendi talem veritatem male neglexisti.

§. 103. *Et cum hoc dixisset iterum exiit ad Iudeos. v. 38.*

Post interrogationem istam; quid sit veritas? Promptum Christi animus ad respondendum videns Pilatus, vel impatiens morae, vel satis habens ad intelligendam Christi innocentiam vel Dæmone stimulante nec verbis Christi de iustitia & veritate plenius erudiretur, & ne tangeret eius conscientiam, vivis ac certis argumentis & rationibus, quibus respondere non posset, cogitavit liberare eum de manibus Iudæorum, innocentiam eius publicè declarando, exiit ergo è loco interrogationis suae ad Iudeos foris eius declarationem expectantes, non expectato Christi responso, quod multi legentes dolere solent, qui veritatem scire desiderant.

Quam multi sunt, qui hodie dum sic agunt, uti Pilatus, disceptationem cum religioso homine vani, cum Catholico acatholici, cum pio dycolis incipiunt, sed mox vel nausea talium rerum vel metu ingratarum veritatis audiendae desistunt, & se subducunt, viam ad Christi regnum aperant occludunt sibiipsis, & quid mirum est si postea pereunt.

§. 104. *Et dixit: Ego nullam invenio in eo causam. v. 38.*

Quaquam non audierat Iesum responsum de veritate Pilatus, tamè ex promptitudine Domini ad respondendum, ut dixit & non ignarus malitiae Iudaicae, & ex ipso vultu Domini collecta modestia & innocentia, prodit ad Pontifices Iudæorum & conglomeratam multitudinem fortis stantem, morae impatientem, murmurantem à longa Praetoris cum reo confabulatione, ne forte vinceretur; dixit: *Examinavi hominem de criminibus obiectis, nihil in eo criminis invenio: doctrina eius irreprehensibilis est, & vita eius inculpabilis nec à quoquam vere peccati accusatur, quibus verbis clare Christum non tantum absolvit praeses ab eo crimine quo accusatus erat, sed generaliter dicit, Ego nullam invenio in eo causam.* Magnum sane innocentiae Christi testimonium, praesertim ipsius, qui ipsum postea crucifixit. Nec semel tantum, sed saepe in ipso iudicio datum & repetitum. Nec oscitanter praetereo, quod accusatus à suis, excusatur ab extraneis, sic enim futurum erat ut Iudæis blasphemantibus eum, gentiles quandoque Christum summo studio susciperent & glorificarent, his ad gloriam & honorem, illis in vituperium & damnationem. Sed quaeri potest cur Praeses Christum non liberavit cum nihil criminis invenerit in eo? & cur impio